UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis; necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 2. Est-ne necesse accusare omnia & singula peccata mortalia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

Visual Library

Agnovit hanc veritatem S. Auguſtinus cùm dixit: *Nemo ſibi dicat: occultè ago apud Dominum Pœnitentiam, novit Deus qui mihi ignoſcat, quid in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum:* Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? *Ergo ſine cauſa claves Eccleſiæ Dei datæ ſunt.* S. Auguſt. Homil. 49.

Denique eſt accuſatio *Obligans ad peragendam Pœnitentiam injunctam*, quia ex Concilio Tridentino: *Satisfactio in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiritur.* Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3.

*Quæſt.* 2. Eſt-ne neceſſe accuſare omnia, & ſingula peccata mortalia?

*Reſp.* Eſt neceſſarium: *Conſtat enim*, ait Concilium Tridentinum, *Sacerdotes judicium hoc incognitâ cauſa* exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantùm adversùs duo ultima Præcepta Decalogi commiſſa, quæ nonnumquam animam graviùs ſauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur. Verùm cùm univerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios & Dei inimicos reddant, neceſſum eſt omnium etiam veniam cum aperta & verecunda Confeſſione à Deo quærere. Seſſ. 14. cap. 5.

*Deus tegat vulnera tua, noli tu*, inquit S Auguſtinus, *nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, medicus non curabit.* S. Auguſt. in Pſal. 31.

*Quæſt.* 3. Quænam peccati circumſtantiæ